

33. 1706, 11
A. Ω.
DISSERTATIO MORALIS
DE
FVNDAMENTO LE-
GVM NATVRALIVM
SECVNDVM DISCIPLINAM
SOCRATIS

IN ACADEMIA IENENSI
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIP E DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXON. IVL. CLIV. MONT.
ANGR. ET GVESTPHAL.

ET RELIQA
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
BENEVOLO INDVLTV

AD D. NOVEMB. CIO IOCC VI.
ERVDITORVM EXAMINI SVRMISSA
A PRAESIDE

M. CHRISTIANO LOEBERO

ET RESPONDENTE
IO. GEORG. SCHELLERO
CALENSI LL. STVD.

IENAE
LIT. VVERTHERIANIS.

DISSERTATIO MORALIS
FUNDAMENTO ET
GAMMATORIA
SECONDUM DICTINUM
SOCRATIS
IN ACADEMIA HERENSI
RECOLTA VITIOSA
DOMINO
GALLILO HENRICO
DUCE ADOU ET CETERIS
VNGE ET DACTYL
TITIO
AMPULSINI RHODODENDRON ORDINIS
GENEALOGIA
AD M. VOLVAM CID SODC AL
EXADDITIONE ET VITIO
A PRAESIDE
M. CHRISTIANO LOEFFERO
IO. GREG. CHAPFERO
CALVINI ET STUTTGARTII
TIT. VITIO
LIT. VITIO



de manu
potest
minibus magis sup A. u. Ω. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
X. quo Legum nobiscum natarum discipli-
na, post ferrea illa Philosophiae scholasti-
cae secula, nobis amoena quadam πάλι-
γενείᾳ restituta est, semper fere fuerunt,
qui controversiam disceptarunt de fun-
damento, in quo maxime tota huius iu-
ris moles inniteretur. An autem omnes veram funda-
minis rationem, verumque questionis sensum satis de-
clararint, nos quidem in medio relinquemus, id po-
tius operam daturi, ne in hoc ipsi offendamus, istud ar-
gumentum hac dissertatione prosequentes.

CAP. I.

S. I.

LEX generaliter definienda, preceptum est, iubens ea,
qua facienda sunt, prohibensque contraria, coniunctum cum vi obligandi. FUNDAMENTVM autem pro-
prie id significat, quod imum rei est, et onus structuram
que impositam sustinet: deinde quando ad interpretan-
das leges transfertur, notat illud, unde sensus, vis et vigor
suum legi constat: vel ut planius edisseramus: illud, quo
posito, lex consistere potest, quo non posito, lex dari ne-
quit.

A 2

§. II.

§. II. At vero duæ sunt cuiuslibet legis partes : primo ipsum *præceptum*, quod agenda poscit, omittendis interdicit : deinde *vis obligandi*, sive potestas legis, qua omnium, quibus lata est, obsequium sibi obstringit.

§. III. Porro singulis partibus peculiare fundamentum est.

§. IIII. Vniuersæ tria sunt, quæ legem fundaminis instar sustinent: *Finis*, sive *scopus*; ad quem ferendis legibus obtinendum, Legislator animum intendit: *Auctoritas*, qua Legislator apud illos valet, quibus lex constituitur: et *promulgatio* denique, qua præceptum agendi aut omittendi illis, ad quos pertinet, innotescit.

§. V. Non enim absq[ue] scopo, nec sine auctoritate Legislatoris, nec sine promulgatione lex constare potest: vicissim, posita Legislatoris intentione, et auctoritate, et promulgatione, stabilita lex est, fundoq[ue] solidata.

§. VI. Itaque *finis*, sive *scopus* Legislatoris fundamentum est ipsius *præcepti*, quod legis pars altera: altera vero pars, nimirum *vis obligandi*, nititur & auctoritate Legislatoris, et promulgatione legis.

§. VII. Sed nunc speciatim de *Legibus naturalibus*. Hæ sunt *præcepta agendi et omittendi*, a DEO hominibus data, naturaliter nota, ideoque cum maxima vi obligandi coniuncta.

§. VIII. Reperies et hic duas cuiusnis legis naturalis partes: *præceptum*, quod quasi corpus est, et *obligandi vim*, quæ animæ vices gerit.

§. VIII. Fundamentum *obligationis*, aut *facultatis obligandi* partim infinita *auctoritas* est, quæ in DEO est, partim

§§(5)38

partim *promulgatio*, quam *quasi promulgationem* dicere nonnulli malunt, qua *præcepta* illa naturaliter nota fiunt.

§. X. *Præcepta* vero in Legibus naturalibus, non aliud fundamentum habent, ac *finem* illum, quem omnipotens Legislator legibus his vult obtinere.

§. XI. Quamobrem qui *auctoritatem* diuinam, et legum naturalium *promulgationem* comprobat, seopum item Legislatoris Omnipotentis exponit, atque hæc omnia, *primis* vt vocant, *principiis* confirmat, ille dubio procul satisfacit questioni de harum legum fundamento. His enim legum fulcris cognitis, non potest quælibet naturæ lex non demonstrari.

§. XII. Idque an efficere possimus, nos iam periculum faciemus, commemoraturi, vt monitis suis moralibus velut digitis, verum Legum naturalium fundamentum commonstrarit SOCRATES Atheniensis, eximus ille vir, *qui*, quæ verba CICERONIS sunt, *a*, cum prudentia et acumine et venustate et subtilitate, tum vero eloquentia, veritate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium Philosophorum fuit facile princeps.

a, Lib. III. de Orat.

§. XIII. Sed primum de huius Philosophia morali, philosophandiique ratione, generaliter quædam dicenda sunt.

CAP. II.

§. I.

SOCRATES Atheniensis, *a*, qui anno IIII. Olymp. LXXVII. sexta Thargelionis mensis die, *b*, quam Græci auspicatam habuerunt, *c*, natus, patre Sophro-

A 3

nisco,

nisco, *d*, lapicida, *e*, matre vero Phænareta, eaque obstertricis munere functa, *f*, usus est: adolescens se ad mechanicam patris sui artem applicuerat, lapidesque sculpsérat: *g*: sed deinde mentem etiam ad sapientiæ studium adiiciebat, idque patre haud difficulter consentiente, quem Oraculum monuerat, ne filio, qui interno quodam, eoque altiore duce gauderet, conatus suos interdiceret. *b*.

a, cuius vitam scripsit Charpentier singulari libro, a Thomasio ex Gall. in German. sermon. verso. *b*, Plutarch. Sympos. Lib. VIII. quæst. I. Ælian. Hist. var. L. I. c. XXV. Diog. Laert. de vita Philos. Lib. II. Seçt. V. *c*, Ælian. I. c. Diog. Laert. I. c. *d*, Xenoph. Hist. Græc. L. I. edit. Franc. cof. 1596. p. 449. Plat. in Euthydem. edit. Basil. 1556. p. 279. Laert. I. c. Suid. in Socrat. Ælian. Hist. var. Lib. II. c. I. *e*, Suid. I. c. Laert. I. c. *f* Plato in Thæt. p. 71. Suid. I. c. Laert. I. c. Ælian. I. c. *g*; Suid. et Laert. I. c. *b*, Plutarch. Lib. de dæmon. Socrat. edit. Basil. 1542. p. 854.

§. II. Iamque ab ANAXAGORA, DAMONE et ARCHELАО Præceptoribus, *a*, multarum sed maxime naturalium rerum scientia auctus erat, *b*, cum magno huius studii tædio caperetur, *c*, incertasque Philosophorum, quæ ea tempestate frequentes erant, disputationes de cælo, origine mundi, rerum cælestium causis, euentibus et his similibus, flocci pendere inciperet, omnia theorematæ, quorum in pernoscendis ac dirigendis rebus humanis nullus usus est, *d*, reiiciens: *e*: valde etiam perosus fallaces iuuentutis magistrros, qui multum sumentes pecuniae, adolescentes vano implebant certatim disputandi studio, sed veram sapientiæ viam non monstrabant.

a, Suid.

a, Suid. & Laert. c. l. *b* Plato in Phædon. p. 38. *c*, Xenoph. Memorab. L. I. edition, alleg. pag. 710. Diog. Laert. I. c. *d*, non simpliciter omnia, Diog. Laert. I. c. *e*, Xenoph. I. c. Aristot. Lib. I. de partibus Animal. Cap. I. Laert. c. l. *f*, Plutarch. quæst. Platonic. num. I.

§. III. Contra vero eo laborandum esse censebat, ut homines se ipsos explorarent, humanarum rerum rationes perscrutarentur, et officia sua explerent æque ac perdiscerent. Qua de causa primus moralium in Græcia præceptor habetur. *a*.

a. Cic. Lib. V. Tuscul. quæst. c. IIII. Diog. Laert. Proem. Lib. I. & Lib. II. Sect. V.

§. IIII. Pro pio igitur in homines, præfertim iuuenes, amore, *a*, magnaque cogitandi et differendi prudencia, *b*, totus erat in formandis mentibus humanis, iisque eam viuendi artem instillare studebat, quæ hominem a libidinum impetu vindicaret, officia humana sancte seruare doceret, omnesque vias monstraret, quæ ad quietem ferunt et tranquillitatem. Hinc omnem docendi occasionem quotidie arripiebat, et neque subselliis positis, neque certis scholâ horis constitutis, *c*, mane ad deambulationum & exercitiorum loca, deinde in forum, siquidem frequens esset, se conferebat, reliquum autem, diei tempus istuc degebat, ubi inter plurimos versari posset, *d*, nunquam non emolliens aut condescens faciens animos flexibilis, nec unquam mercede cum auditoribus paciscens, quos gratis *e* docebat, liberalis vir, et sine præmio benignus.

a de quo quatuor sermones scriptis Maximus Tyrius ferm. VIII. VIII. X. XI. edit. Heins. 1607. p. 46. seqq. *b*, Plat. in Gorg. p. 397. et alibi. Diog. Laert. I. c. Confer. etiam Aristot. Lib. XIII. Metaphys. cap. IV. *c*, Plutarch. in lib. an se-

ni sit gerenda res publica. *d.* Xenoph. Memorab. L. i.
p. 709. *e.* Id. ibid. p. 712.

§. V. Non autem verbis tantum, sed integerrimæ etiam vitæ exemplo, discipulos docebat. Virtute enim quantum quidem naturalis homo poterit, eminebat, iusti studiosus, *a*, voluptates pariter ac opes sperneñs, *b*, bello strenuus, *c*; nec in armis præstantior quam in toga, quippe vitæ etiam molestias, variam fortunam, et coniugis importunitatem, *d*, non modice ferens, sed fortiter & sapienter: nec in morte quidem fractus, cui LXXX, ætatis anno *e*, iniustissime addictus, *f* sententiam æquo animo ferebat, *g*, nec Patronum ad iudicium capitis quarebat, *b*, nec iudicibus supplex fiebat, *i*, nec opportunitate quidem e custodia egrediendi vtebatur, *k*, sed libera adhibens contumaciam, eamque non a superbia sed a magnitudine animi ductam, mortiferum illud poculum ebibebat, *l*, docens, cohortans et philosophans, eximie, *m*, dum exhalabat animam.

a. Vid. in prim. Xenoph. Memorab. Lib. I. p. 710. Plat. in Cratyl. verb. ultim. Maxim. Tyr. ferm. XXVI. p. 150 *b*. Diogen. Laert. I. c. Xenoph. Memorab. L. i p. 711. & 712. *c* Diog. Laert. I. c. *d.* Id. ibid. Xenoph. Lib. de re domestica. Plutarch. lib. de ira cohibenda. *e.* Suid. I. c. *f.* Vid. Xenoph. Apolog. pro Socrate, it. Lib. i. Memorab. sub init. & Lib. III. in fine. Suid. I. c. Plat. Apolog. Socrat. p. 7 seqq. Diog. Laert. I. c. *g.* Xenoph. in Apol. Plato in Phædon. Cic. L. i. Tusc. quæst. cap. XXX. *h.* *i.* Xenoph. Mem. L. III. p. 817. Cic. I. c. *k.* Plat. in Crit. p. 17. seqq. *l.* Plat. in Phæd. in fin. *m.* Plat. ibid. Xen. Mem. Lib. III. p. 817. seq. Plutarch. περὶ Φυγῆς in fin. Cic. I. c.

§. VI. Sed suspicionem quandam habere videtur Philosophia moralis Socratis, ideo quod ipse cum spiritu quodam

§(9)S

quodam familiari commercium habuisse, ad eiusque nū-
tum voluntatemque se totum conuertisse dicitur *a*.

a. Xenoph. Apolog. Socrat. & memorab. L. I. & IIII. Plato
Apolog. Socrat. Aelian. Hist. var. lib. VII. c.t. Plutarch.
singulare libro de dæmonio Socratis. Cicero de diuinat.
Lib. I. Maximus Tyrius serm. XXVI. et XXVII. qui inscribit.
quid sit Socratis Deus? Appuleius Madaurensis peculiariter
libro de Deo Socratis. Suid. in Socrat. Diog. Laert.
loc. sèpe allegat.

§. VII. Nec enim SOCRATIS discipuli, præsertim
PLATO et Platonici dubitarunt, fuisse spiritum quem piam
finitum, seu dæmonem, quem nos angelum nuncupare-
mus, qui semper ipsi adfuerit custos, curator, obserua-
tor, arbiter, malorum improbator, bonorum probator,
monitor. *a.* Quanquam alias Platonici mentem etiam
humanam, nonnunquam appellabant dæmonem, *b*, quod
Stoicis etiam *c* & aliis *d* solenne erat.

a Vid. Maxim. Tyrius. loc. cit. p. 155. Appuleius Madaurensis
loc. cit. edit. Elmenhorst. Francof. MDCXXI. p. 50. et 51.

b. Appuleius loc. cit. p. 49. *c.* Diog. Laert. de Vitis Phi-
losoph. Lib. VII. Sect. I. Senec. Ep. XXXI. Conf. Iust. Lips.
manuduct. ad Philos. Stoic. Lib. II. Dissertat. XVIII. edit.
Lugdun. 1644. p. 200. seqq. *d.* de Xenocrate vid. Aristot.
Lib. II. Topic. c. II. de Menandro & Heraclito Plutarchus
quaest. Platon. quaest. I. Vid. etiam Virgilius. Lib. VIII.
Aeneid. v. 185.

§. VIII. Alii contra, quos inter ARISTOTELES, *a*,
& CICERO, *b*, per Dæmonium SOCRATIS nequaquam
spiritum quendam separatum, sed tantum diuinantem
SOCRATIS mentem intelligebant.

a, Vid. Aristot. Lib. de diuinat. per somn. cap. II. collat. cum
problemat. Sect. XXX quaest. I. *b*, Lib. I. de diuinat. ca-
sus

stus animus purusque eſt, quod de Socrate accepimus, quodque ab ipſo in libris Socratis ſape dicitur eſſe diuinum quiddam, quod demonium appellat, cui ſemper ipſe paruerit nunquam impellenti ſape reuocanti.

§. VIII. Sed ex ſequentibus rem, vtifuit, cognoscere poterimus: nimirum I. SOCRATES, quantum ad naturalium qualitatum crasim, melancholicus erat, *a*, ſæpe perdius atque pernox inconuiuens, immobilis, ore atque oculis eundem in locum directis, cogitatibus deprehendebatur, tanquam quodam ſeceffu mentis atque animi facto a corpore. *b*. *2*, Spiritum illum, quem ſequbatur & laudabat, nunquam vidit: *c*. *3*. Sed audiuit eius vocem, *d*. *4*. non tamen vocem proprie dictam, ſed tantum quaſi vocem audire putauit. *e*. *5*. Spiritus ille nunquam agenda iuſſit, ſed reſtitit ſolummodo, et omittenda prohibuit. *f*. *6*. Nec vñquam tamen Socratem, aut qui eum conſulerent, ſefelliſſe: *g*: At vero *7*. non ſemper respondiſſe, præſertim de euentibus plane ancipitibus, *b*. itidem perhibetur. Vnde ſatis liquet; quod ſi etiam Socrates ſibi rem eſſe cum puro quodam ſed ſeparato ſpiritu crediderit: conſer num *I*. et *3*, ſolam tamen liberioris et a conſuetudine corporis ſepiſſime abſtractæ mentis efficaciam, ſapientiam, virtutem et imperueſtigabilem diuinandi vim intelligi debeſſe. Conſer num. *I. 2. 4. 5. 7.*

a. Vid. Arist. in Problem. Sect. XXX. quæſt. *i*. Plutarch. in vita Lysandr. Confer etiam Lit. ſequentem. *b*. quod Gellius noſt. Attic. Lib. II. cap. *I*, refert, & Phaorini testimonio confirmat. *c*. Xencph. Memorab. Lib. III. p. 802. *d*. AElian. hiſt. variar. Lib. VIII. *e*, *I*. *e*. Appuleius

S(n)S

I eius Lib. de Deo Socratis p. 52. f. AElian. I. c. Cicero
in verbis ad §. VIII. Lit. a. adductis. g. ap. Xenoph. Me-
morab. Lib. I. p. 708. Plutarch. Lib. de Deo Socratis, et
alios. b. Xenoph. I. c. p. 709.

§. X. Ceterum non ea docendi ratione vtebatur NO-
STER, vt aut placita sua consignaret literis, a, ant lon-
gas sententiarum series auditoribus pralegeret: sed quæ-
stione inter colloquendum posita, auditorum sciscitaba-
tur sententiam, falsum refellens, et veritatem vna perqui-
rens, b, tandemque non cohortationibus modo animos
incitabat, sed proprio etiam vitæ exemplo.

a. Plutarch, de Virtute Alexandri Orat. i. Diog. Laert. I c.
b. Plutarch, quæst. Platon, quæst. i. Hinc se obstetricis mu-
nere fungi dicebat, non parentis, sed parturientibus
opem ferentis. Plat. in Theat. p. 72. & 74. Conf. Plut-
arch, qu. Platon, I.

§. XI. Quamobrem in hac dissertatione id dabi-
mus operam, vt nostram elocuturi sententiam, SOGRA-
TIS, qui ante nostra certamina verum iuris naturalis fun-
damen reperit, colloquia, monita, et vitam quoque, ex-
aminemus, eiusque argumenta de legibus naturalibus,
congesta, secundum insitam probandi vim in ordinem
redigamus, nostro qualicunque iudicio ea illustraturi,
confirmaturi:

CAP. III.

S. I.

Dari autem Leges naturales, nobiscum velut natus,
SOCRATES et sepissime hortatu, et quotidie vita
exemplo innuebat: tunc vero cum primis euincebat,
cum HIPPIAM dissertando adigeret, vt confiteretur:
a: nosse se naturales leges, non scriptas, vbiuis locorum

codem modo receptas, non ab hominibus latae, sed a DEO constitutas.

*a: ἀγρόφυσ νόμοις, τέτηραι πάσῃ χώρᾳ, κατὰ ταῦτα νομίσματα, οἱ ἀνθρώποι αὐτοῖς ἐθεντο.
οἱ θεοὶ ταῦτα νόμοις τέτηραι τοῖς ἀνθρώποις ἐθεντο.
Xenoph. L. III. Memorab. p. 807.*

§. II. Nimirum, qui DEVUM agnoscit omnipotensissimum CREATOREM, prouidentissimum CONSERVATOREM, sapientissimum et iustissimum RECTOREM: deinde hominis naturam proprius inspicit, intelligendi virtutem, et voluntatis facultatem perpendit: naturales etiam instinctus sentit: atque sic finem, ad quem a CREATORE destinatus est, intelligit; ille non potest, quin esse eiusmodi leges, pro certo habeat. Hæc omnia vero noscitasse SOCRATEM, compertum habemus, atque deinceps etiam confirmabimus.

§. III. Sed vt, quo fundamine leges naturales inniti crediderit, commonstremus, initium ab altera harum legum parte, quæ vis obligandi est, faciamus.

§. III. Quemadmodum autem cuiilibet legi suam obligandi vim, partim ab auctoritate, partim à promulgatione legislatoris esse, præfati sumus: ita NOSTER hanc legum naturalium virtutem auctoritate et promulgatione diuina fundatam putabat.

DE AVCTORITATE DIVINA:

§. V. Primo, esse DEVUM, id est, esse aliquod numen infinitum, independens et perfectissimum, sciebat et profitebatur. *a.* Quod etiam solidissimis rationibus persuadebat ARISTODEMO, quum de hoc arguento cum ipso contenderet. *b.*

Incipit

a Quod

a. Quod non modo et vita et monitis satis ostendebat, sed
b. Plato etiam in Apolog. præsertim p. 10. diligenter notare
 voluit. *b.* Apud Xenophont. Memor. Lib. I. p. 725.
 - 728.

§. VI. Sed ne mireris SOCRATEM de DEO locutum, pluratio plurimum numero vsum esse. Eam enim dicendi formulam prisca gentilium, τῶν ἐν τῇ σοκρατικῇ περιπατεῖσιν, *a.*, ferebat consuetudo, ut etsi vnum tantum summum atque infinitum DEVUM esse credebant, *b.* plures tamen DEOS cum vulgo nuncuparent. *c.*

a. Ioh. XII. 35. *b.* Sic Pythagoras ἀρχὴν τῶν ἀπάντων, μονάδα. principium omnium rerum, hoc est Deum, unitatem esse dicebat, Diog. Laert. Lib. VIII. Sect. I. Plutarch. de placit. Philoloph. Lib. I. cap. VII. Plato itidem vnum DEVUM confitebatur Epist. ad Hermiam, Erast. et Corisc. in fine. it. Lib. IIII. de Legibus p. 543. Vid. Alcinous introduct. in doctrin. Platon. cap. 10. edit. Heins. p. 353, 354. Maxim. Tyr. Serm. I. p. 3. Et ita etiam SOCRATES vnum summum DEVUM esse statuebat. Hinc enim illum non raro τὸ Θεῖον, diuinum, sive id, quid absolute diuinum est, nuncupabat. Xenoph. Memor. Lib. I. p. 728. quod clarius testatur Plutarch. de Placit. Phil. L. I. cap. VII. his verbis: Σωκράτης καὶ Πλάτων τὸ ἐν τῷ μονοφύει, καὶ αὐτοφύει, τὸ μοναδικόν, τὸ ὄντως εἰγαθόν. Socrates et Plato unum singularis et per se subsistentis naturæ, solitarium, vere bonum, scil. dixerunt DEVUM. Quemadmodum item de Aristotele scimus, quod vnum tantum summum DEVUM esse, et quidem tum numero, tum ratione vnum, statuerit. Lib. VIII. Phys. cap. VI. Lib. XII. Metaphys. cap. VIII. quem Cicero SUPREMVM DEVUM vocat, Lib. I. de Legibus et alibi. Et sic ceteri quoque prudentiores gentilium: quod Gerh. Ioan. Vossius notat de

orig. et progr. idol. Lib. I. cap. II. a. Ita tamen, ut hac in re, opinionibus maxime inter se different. Alii enim præter SVMVM ENS alias quoque substantias diuinæ, finite tamen essentia credebant, variisque nominibus appellabant. Aristot. Lib. XI. Metaph. c. VIII. Maxim. Tyr. I. cit. Nec ipsi tamen, utpote ἐστι παρέδωκεν ὁ Θεὸς εἰς ἀδόνυμον νῦν Rom. I. 28. pari de fictis illis substantiis sententia concinenter. Alii vero et in primis Stoici, quibuslibet vulgari vsu receptis nominibus unicum Deum indigitare volebant. Ita enim Seneca Lib. III. de benef. cap. VII: *quæcumque voles, nomina propria Deo aptabis, vim aliquam effectumque calestium continentia, non errabis: tot appellationes eius esse possunt, quot munera.*

§. VII. Secundo: diuinum numen mundum et omnia, que comprehenduntur mundo, in primis etiam hominem, creasse, a. hecque omnia, sapientissima, omniscia et presentissima prouidentia gubernare, b, credebat, docebat.

a, Τάῦτα δέ τω προνοητῶς πεπεργμένα, γνώμης ἔχει. Hec adeo prouide facta a consilio, scilicet diuini numinis, ut contextus loquitur, profecta sunt. Xen. Memor. L. I. p. 716. b. Τὸ Θεῖον τοσθέτον καὶ τοισθέντον ἐστιν, ὡςδι ἄμα πάντα δέουν, καὶ πάντα δίκεν, καὶ πάνταχθε παρεῖναι, καὶ ἄμα πάνταν ἐπιμελεῖσθαι. Numen diuinum tantum ac tale iste, ut audiat omnia, et ubique adsit, et pariter omnium curam gerat. ibid. p. 728.

§. VIII. Ergo: diuinum numen ob infinitam præstabilitam, creationem et conseruationem, maxima in homines esse auctoritate, imperandi aequa ac probibendi, concludebat. a.

a. Huc enim SOCRATES totum colloquium cum Aristotele, ex quo excerpta dedimus, collinebat, ut Aristotele,

ΦΕΛΙΞ

demo, de cuius impietate audierat, diuinam in Legibus
naturalibus auctoritatem demonstraret conf. L. c. p. 725.
Addebat etiam, diuinum numen homines et beneficiis
et pœnis afficere posse. Ibid. p. 727. Hancque diuini
numinis auctoritatem ipse ita reuerebatur, ut distamini
dæmonii sui semper mōrem gereret lubentissime, quippe
quod diuina voluntatis interpretem esse putabat. Vid.
Plutarch. Maxim. et Appulei. de Deo Socratis. Vsque
ad eo, vt capit is iniuste damnatus, ne quidem purgare se
apud iudices de culpa voluerit, οὐαντιώθη γαρ τὸ δα-
ύον. *Numen enim aduersatum est.* Xenoph. L. III.
Memorab, in fine.

SIC VERO DE DIVINA LEGVM NATVRA- LIVM PROMVLGATIONE :

§. VIII. Primo : Optimum et sapientissimum Crea-
torem ad certum aliquem finem destinasse homines, ac or-
dinasse, agnoscebat. a.

a. de quo sine et scopo capitibus sequentibus agetur.

§. X. Deinde : Creatorem etiam hominibus opportu-
nitates habilitatesque corporis et animæ dedisse, vt ad sco-
pum diuinum referri, finemque implere possent. a.

a. Hoc etiam ostendebat Aristodemo in allegato colloquio:
Quomodo scilicet non modo corporis humani constitutio
admiranda, sed animus etiam ad existentiam Numinis a-
gnoscendam, cultumque diuinum præstandum, aptus sit
L. c. p. 727.

§. XI. Porro : diuinum numen insigasse homines in-
dito quodam naturali ad illum finem insincku.

a. sic e. g. τὸ ἐμφύσας μέγιστον πόθον τῷ ξύνῳ, μέγιστον δὲ
Φόβον τῷ Θεάτρῳ, quod indiderit maximum vite desideri-
um, maximumque mortis metum. Xen. Memorab. L. I.
P. 726. Idemque de re domestica p. 839. καὶ παλὰ ἔ-
πεια,

VX. 2

εῖναι, ὃ νέμεται ἀποδείκνυσι, καὶ ὃ θεὸς ἔφυσεν. Ατ-
que bona esse, lex demonstrat, Ε' Deus natura indidit.

Et ibidem: εἰ δέ τις παρέδόθη θεὸς ἔφυσε, ποιεῖ. Quod

si quis aliud agit, quam ipsius natura Deus indidit.

§. XII. Tandem: *Hominem præclara ratione a supremo Deo generatum esse, ut solus ex tot animantium generibus particeps sit rationis, a; qua Deum eiusque auctoritatem agnoscere, et habilitatem atque instinctum naturalem persentire, scopum etiam diuinum, et exinde voluntatem numinis, intelligere posset.*

a ὃ θεὸς, ὅπερ μέγιστον ἐστι, καὶ τὴν ψυχὴν καρδίαν τῷ
ἀνθρώπῳ ἔφυσε: Deus quod maximum est, etiam
præstantissimam animam hominis nature indidit. Xe-
noph. Memorab. Lib. I. p. 727. et ibid. Tίνος γὰς ἄλλα
ἔσσες ψυχὴ προστά μὲν Θεῷ, τῶν τὰ μέγιστα καὶ καλλί-
στα σωταξάντων, ἡδηταῖ, ἔστι εἰσι, τι δὲ Φύλον ἄλλο,
ἢ ἀνθρώποι, Θεοῖς θεραπεύεσθαι; Nam cuius alterius
animalis animus deprehendit primum de Diis, qui hæc
amplissima et pulcherrima construxerunt, eos esse? Quod
idem aliud genus, præster homines, Deos colit?

§. XIII. His talibus, naturalis promulgatio absolu-
tur, eaque et auctoritate diuina, naturalium legum vis
obligandi nititur, secundum Socratem.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ

§. XIV. Et sane præclara sunt ista, si pluratiuam
quidem de Deo dictiōnē, excipiāt, atque ad veritatem ac-
commodate dicta. Nam I. si posita auctoritate et promul-
gatione diuina, vis illa obligandi firmis quasi compagibūs
consistit, contra vero absque auctoritate aut promulga-
tionē diuina, leges naturales neminem obligare pos-
sunt, subsequitur necessitate non fallaci, auctoritatem et
promulgationem diuinam esse illius obligationis verum
fundamentum.

§. XV.

§. XV. Deinde II. mouere nos nequaquam potest magnum nomen HVGONIS GROTI, qui præcepta legum naturalium cum vi sua obligandi locum habitura, putabat, *a, etiam si daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse DEV M, aut non curari ab eo negotia humana.* Vnde enim præcepta naturalia, eorumque vis obligandi, si DEVS aut non esset, aut nullam rerum humanarum curam gereret?

a. de Iure belli et pacis Proleg. §. XI.

§. XVI. Sed tu forsan ad actionum humanarum moralitatem, diuinam voluntatem anteeuntem, prouocare, indeque nobis dubium mouere? Verum, 1. posito, quod, si DEVS non esset, et homines tamen viuerent, actiones ex mera sua natura morales, et per consequentiam leges naturales darentur: illæ tamen leges non possent habere veram legum rationem: non enim obsequium hominum sibi obstringere possent, nec homines vera quadam necessitate adigerentur, ut varia designare crimina dubitarent, si aut clam, aut crita ciuilis poena formidinem illud fieri potuerit. 2. Sed neque tunc demonstrari vlo modo posset eiusmodi moralitas, quæ nunc etiam, in officiis hominis erga se, et erga alios locum nequaquam habet. Aut denique 3. omnis probationis vis eo rediret, quod ob proprium, sociatisue humanæ, commodum, certæ actiones essent morales.

§. XVII. Hocque modo hæc opinio non multum ab eorum placitis differret, qui ius naturale ex bello omnium in omnes in statu naturali, deriuant, nec aliam harum legum originem asserunt, quam quod homines, ne mutuis bellis se inuicem lacerfendo perirent, pae-
C
qui-

quærere, coire, legesque de pacifica quadam societate, colenda condere, necesse habuerint. At vero eiusmodi conuenta non essent leges naturales, sed humana, tantum pacta, quæ nec adstringere iuitum, nec a flagitiis retrahere possent, sicuti societatis commodum foret desperatum. Quod argumentum, si DEVS volet, singulari etiam dissertatione prosequemur. Ut itaque omnino verum sit, *auctoritatem et promulgationem diuinam esse verum fundamentum obligationis, aut virtutis obligandi in legibus naturalibus.*

§. XVIII. Tandem III, hac methodo cum *auctoritas, tum promulgatio diuina, positis principiis diligenter exploratis, demonstrantur.* Siquidem ex existentia DEI, creatione et conseruatione, omnimoda *auctoritas necessario fluit: atque ex naturali hominis habilitate, instinctu, cognoscendi et intelligendi facultate, promulgatio legum omnino innotefecit.* Quæ omnia in hanc enunciationem redeunt:

Ad quemcunque finem homo se a DEO destinatum esse, ex DEI cognitione, item ex naturali habitudine et instinctu, vi naturalis rationis intelligit, ad illum finem se totum componere, omnesque ex ista DEI intentione fluentes leges sanctissime obseruare, totus obligatus est.

§. XVIII. Obiicies hic fortassis: quod de naturalibus Legibus ex naturali hominum inclinatione et instinctu tuto indicari nequeat, tum quia naturalis propension apud omnes sentiatur æqualiter, tum quia ex aduerso conclidi possit, illa quoque vitia iure naturæ aut præcipi, aut saltem non prohiberi, in quæ homines toto die, magno affectuum impetu feruntur.

§. XX.

§. XX. Sed respondet : Quemadmodum I. naturalis instinctus non immediatum moralitatis criterium, liceat enim ita loqui, constituitur, quasi illæ actiones, ad quas vehementior inclinatio nos impellit, hac de causa iustæ sint : Ita II. nequaquam quælibet animi propensio aut omnis motus sanguinis hic intelligitur. Sed III. constans ille, perpetuus, nascens cum homine, et adolescens, naturæ instinctus, quem ratio humana cùm notitia DEI, nec non habilitate corporis et animæ, conferre debet, tantummodo docet, ad quem finem homo a DEO generatus sit: ex istius autem finis cognitione, Leges naturales proficiunt, quæ tum externas actiones dirigant, tum internas. Atque iam ad declarandum istum CREATORIS scopum pergimus.

CAP. III.

§. I.

Altera Legum pars sunt *Precepta*, quæ, quod supra diximus, nituntur *scopo* Legislatoris, quem quidem Legibus suis voluit consequi. Absque *scopo* enim dari præcepta nequeunt : at præfixo quodam fine, positoque sic initio, leges condi possunt, et ad finem collinear. Cumque itaque Legislatoris scopus sit fundamentum præceptorum : quem quæso scopum aut finem optimus ac summus Legum naturalium Lator intendit?

§. II. Audies hic etiam SOCRATEM nostrum bene philosophantem : At vero, quod paucis præfandum est, triplicia hominis officia, erga DEVUM nempe, se ipsum et ceteros homines, agnoscebat, a triplicem ideo etiam scopum Legislatoris innuens. b. Primum autem et præcipuum in Legibus naturalibus esse, officiis erga DEVUM fungi, subinde monebat. c.

a, & b. id quod postea ostendetur. c. παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις περῶτον νομίζεται, ταῦτα θεῖς σέβειν. Apud omnes homines hoc primum pro lege habetur, Deos esse colendos. Xenoph. Memorab. Lib. IIII. p. 807.

IGITVR

I. DE SCOPO LEGVM NATVRALIVM HOMINEM DEO OBSTRINGENTIVM:

§. III. Docebat SOCRATES, quod DEVIS sit ens optimum et perfectissimum: a: quod hominem crearet sapientissime, conseruaret benignissime, regeret prudentissime: b: quod hunc præ ceteris animantibus anima rationali instruxerit, qua et nosse DEVIM, et venerabunda deuotione colere posset. c: Sentiebat item instinctum naturalem cum homine intus quasi natum, qui mentem adigit ad piam Numinis reverentiam. d.

a. Τὸ ἀντοφυὲς, τὸ ὄγκως ἀγαθόν. Per se sufficiens, et vere bonum ens: quod credidisse Socratem. Plutarchus testatur Lib. I. de placit. Philosoph. c. VII. b. de quo apud Xenoph. prolixius inter Socratem et Aristodemum discursus. Memorab. L. I. p. 725. c. confer loca supra cap. II. §. XII. not. a. adducta. d. Quo referas, quæ ad Aristodemum dicebat: Ταῦτα θεῖς τοῖς ἀνθρώποις δόξαν ἐμΦῦσα, ὡς ινανοὶ εἰσω, ἐν κρήπαις ποιεῖν. Deos hominibus ingenerasse opinionem, quod beneficis et pacis afficere possint. Xenoph. Mem. Lib. I. p. 727.

§. IV. Atque exinde argumentabatur: DEVIM intendisse, ut infinita gloria sua ab homine summa obseruantia celebretur. a. En scopum diuinum, atque earum naturalium Legum, quæ officia hominis erga DEVIM præscribunt, verum fundamentum.

a. sic

§S (21) §S

a. Sic enim apud Xenoph. Mem. Lib. I. p. 716. οὐσῳ μεγαλοπρεπέσερον ἀξιῇ σε θεοπάνευν, τοστῷ μᾶλλον τιμητέον αὐτό. Quanto magnificentius ens tui curam habere dignatur, tanto magis honore afficiendum est. Et p. 722. ἐνθυμίζεις, τὸς Θεοῦ τὸν παρὰ τὸν ἐυτεθεστάτων τιμῆς μᾶλλα χάλεψεν. Existimabat Socrates, Deos in primis honoribus gaudere, quos homines maxime regnosi ipsi haberent.

§. V. Firmis igitur nexibus monitorum suorum compagem superstruebat. Et generalem quidem legum huc spectantium complexionem ita pronunciabat : *Vt homo, nihil intermittens, omnem honorem DIVINO NVMINI haberet: a: sed cunctas speciales leges hac generali contentas, iam attingere, nimis prolixum foret: nonnullas tamen ex monitis NOSTRI excerptemus: nimirum: ut voluntati diuina homo se totum permitteret, tum aquo animo latus, si qua aduersa fortuna ipso contingere, b, tum ne precibus quidem quippiam a DEO exoraturus, nisi ut DEO visum fuerit. c. Item: ut homo externum quoque cultum, externamque rem diuinam faceret, eo tamen modo, quem NVMEN peculiari ratione significaret: d: simulque NVMEN caste adiret. e. & reliqua.*

a. Χεὶς ἐν μηδὲν ἐλλείπτοντα πατὰ δύναμιν τιμᾶν τὸς Θεοῦ. Oportet igitur nihil intermittentem Deos pro viribus honore afficere. ap. Xenoph. Lib. III. Memorab. p. 803. b. Sic, quod ipse mortem, tanquam diuino fato inunctam lubens obierit cap. I. relatum est. c. ap. Xenoph. Memorab. Lib. I. p. 722. ἔυχετο δὲ πρὸς τὸς Θεοῖς ἀπλῶς τὸ ἀγαθὸ διδόναι ὡς τὸς Θεοῖς παλλισσαὶ εἰδότας, ὅποια ἀγαθὰ ἔστι. Precebatur Deos simpliciter, ut bona largirentur, quod Dii optime scirent, cuiusmodi

§(22)

modi res essent bone. d. ὡς άντοι κελέυσοι: ut ipsimet iubent, Id. Lib. IIII. p. 803, e. Id. Lib. I. p. 722.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ

§. VI. Verum vtique est, quod in hoc fundamento innitantur leges naturales de officiis hominis erga DEVUM. Quemadmodum enim vi luminis naturalis ex Dei cognitione, item ex naturali hominis habitudine et instinctu, ceu ex veris principiis cognoscitur et demonstratur, hominem a DEO ad hunc finem ordinatum esse, ut infinitam ipsius gloriam summa celebret obseruantia: ita exinde omnes istae leges optima consequentia deducuntur.

§. VII. Quamobrem cum iis consentire non possumus, qui solam hominum socialitatem iuris naturalis fundamen esse, autumant. Præsertim, cum hoc, quod iam declaratum est, fundamentum cum legibus huc spectantibus, societate humana antiquius sit, et locum haberet, etiamsi nunquam daretur societas aut communio hominum, sed unicus tantum vitam ageret, latissimaque circum se soliditines haberet. Qualem fuisse ADAMVM nouimus, ante coniugis suæ creationem: Quo tamen tempore ille non exlex vixit, sed ad numeris diuini gloriam, deuotissimumque cultum ordinatus.

§. VIII. Et sane ipse PVFENDORFIVS, officia hominis erga DEVUM ex socialitate directe derivari non posse, fatetur. a. Vnde nonnulli aliam quandam societatem, αὐλογίων ita vocandam, quæ inter DEVUM intercedat et hominem, fundaminis loco substituant. Sed ista

35 (23) 55

ista ab antiquis etiam Philosophis memorata & societas,
nihil aliud denotat ac *statum hominis*, quo, rationis fa-
cilitate prope accedens ad similitudinem DEI, legibus ipsi
iunctus est: qui status neque ipsum legum fundamen est,
neque illud fundamentum, quod monstrauimus, tollit,
sed constabilit potius ac confirmat.

a. L. I. de Offic. hominis et ciuis. c. III. §. XII. ex sociali-
tate indirecte officia hominis erga DEVVM deduci possunt,
quatenus ultimum firmamentum officiis erga alios homi-
nes, a religione et metu numinis accedit.

b. Plat. in Gorg. p. 326. Οεδεις ταχινων εργα την πολιτειαν
συνεζησεν. Cic. L. I. de Legibus: Est igitur, quoniam ni-
hil est ratione melius, eaque et in homine et in Deo, pri-
ma homini cum Deo rationi societas. Inter quos autem
ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est, que
cum sit lex, lege quoque consociati homines cum Diis pu-
tandi sunt.

CAP. V.

§. I.

Sequitur secunda Legum naturalium classis, earum sci-
licet, quæ homini officia sibi ipsi debita præscribunt:
sicque nunc dispiciemus:

II. SCOPVM LEGVM NATVRALIVM HOMI- NEM SIBI IPSI OBLIGANTIVM:

§. II. SOCRATES nouerat: 1. hominem diuini
Numinis gloriæ dicatum esse. a. 2. DEVVM etiam ideo
hominem prouidentissime conseruare, ipsique vires et
opem ad viuendum largiri. b. 3. Quin imo ipsi na-
turali quodam instinctu maximum vitæ desiderium, ma-
ximumque mortis metum ingenerasse. c. Atque exin-
de

de argumentabatur: DIVINVM NVMEN animo inten-
disse conseruationem hominis, d, et talem quidem, qualis
ultimo fini, nempe celebranda gloria diuina, responderet. e.

- a. Quod CAP. III. commonstratum est. b. Quod itidem Cap. III. ex Xenoph. Memorab. L. I. p. 725. et 726. probauimus. c. Sic enim loc. cit: τὸ ἐμφύτων μέγιστον μὲν πόθον τῷ ζῆν, μέγιστον δὲ φόβον τῷ θανάτῳ. Quod indiderit maximum vite desiderium, maximumque moris metum. d. Ita etiam loc. cit, postquam de memoratis argumentis verba fecerat, τὰντα, inquietabat, ἔνας σοφὸς τως δημιουργοὺς καὶ φιλοξένους τεχνήσατα: hæc esse sapientissimi cuiusdam opificis, et qui procreatorum suorum vitam amaret, artificia. Et ibid. ἀμέλεια καὶ τὰντα ἔοιε μηχανήσασι τως ζῶα ἔνας βολευσταρεύει. Nimurum hæc quoque videntur illius esse artificis consentanea, qui ut existerent, sive viuerent, animalia, consilio constituerit. e. Quod ex locationis contextu sermonisque scopo patet.

§. III. Super hunc diuinum scopum, tanquam legum huius classis firmamentum, monita sua moralia sapienter construebat, legesque hoc fundamine nixas subinde commemorabat. Quarum hæc generalis amplitudine, sua ceteras complectitur: Ut homo talem sui ipsius conseruationem, quali ad cultum diuinum maxime aptus sit, omni quereret studio. a.

- a. Hinc apud Xenoph. memorab. L. I. p. 729. πανθεγέστατὸν εἴτι, inquit, Φερέτιον τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν. Maxime impium est, tum corpus defrnuere, tum animam. Hicque repet. §. II. Lit. e. Ipsum etiam sapientissime dicere solitus memorat Diog. Laert. de vitis Philosoph. L. 2. Sect. V. mirari se, quod homines seipso curare negligenter.

§. III.

§. III. Sequuntur nonnullae speciales: *Vt homo corpori suo fouendo ac seruando operam impendat.* ^{a:} ita tamen: *vt maiorem anime curam gerat,* ^{b:} *tanquam partis prestantioris,* ^{c:} *cultui diuino magis idonea,* ^{d:} *et immortalis.* ^{e:} Ideoque: temperanter vinat, et a voluptatum vinculis relaxare, ^{f:} ceterosque affectuum motus et impetus reprimere: ^{g:} contra vero puriorem, corporisque consuetudine non contaminatam, vitam agere ^{h:} studeat, et reliqua.

a: ἀλλὰ μὲν καὶ τὰ σώματος ἀντὸν τε ἐν ημέλει, τάστε αὐελῶνταις εἰν ἐπῆνει. N. c corpus quidem ipse suum negligenter curabat, ac si qui curarent negligenter, eos minime laudabat. Xenoph. Memorab. L. I. p. 712.
b: Ad eam corporis culturam hortabatur, quæ τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιψέλειαν εἰν ἐμποδίζῃ, anime studium & curam non impedit: ibid. c. et d. Vide que Cap. II. § XII.
Lit. a. excerpta dedimus. e. Socratis de immortalitate animæ effata ap. Platonem vide in Phædon, præsertim p. 28. 30. 40. 42. &c. f. τίς, aiebat, εἰκὸν ταῖς ἡδοναῖς δελεύων, σιχεῶς διατεθέν καὶ τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχήν; Quis voluptatibus seruens non turpiter affectus sit, tum corpore, tum anima. Xenoph. Memorab. L. I. p. 719. Item, referente Diogene Laertio de Vitis Philosoph. L. II. Sect. V. τὸ μὲν ἀλλαγὴν θεώπηρος ξῆν, τὸν ζόδοιεν ἀντὸν δὲ ἑδεῖν, ἵνα γένη. Alios homines vivere ut ederent, scilicet edere, ut viueret. g. Quemadmodum de Socrate. AElian, Hist. var. L. VIII. cap. VII. narrat, quod semper aequo & bene moderato animo fuicit ipse; καὶ λύπης ὑπεράνω πάσης, καὶ Φόβος κρέπτων παντὸς ὡν: longe a dolore remotus, et omni meo superior. b. Sic enim, quæ ante mortem Socrates diffuerit, Cicero refert his verbis: qui se integros castosque seruauissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seque ab his semper seuocassent, essentque in cor-

¶§(26)¶

poribus humanis viam initati Deorum, his ad illos, & qui-
bus essent profecti, redditum facilem patere. L. I. Tusc. quæst.
cap XXX. ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ

§. III. Et hæc talia non possunt nobis non placere. Si-
quidem, Deum conseruationem hominis, fini ultimo,
quem Cap. III. exposuimus, subiunctam intendere, ex ve-
ris principiis comprobari, et inde cunctas huius classis na-
turales leges deduci, liquet. Hæcque omnia non minus
valerent, si vel maxime non vñquam hominum in terra so-
cietas instituta esset.

§. V. Sunt equidem, qui hominem sibi ipsi, ex na-
turali necessitate obligatum esse negant, hanc potissimum
causam afferentes, quod si hoc sit, sibi quoque homo officia
debita remittere possit, quale quid tamen de Legibus natu-
ralibus asseri nequeat. Sed facile confutantur. Nulla e-
nim consequentia vis in arguento inest, cum homo sibi
non proprius Legislator sit, nec ipsius auctoritate leges istæ
nitantur, sed ipse ex CREATORIS voluntate sibi æque ob-
stringatur, ac ceteris penes se hominibus. Atque ideo pe-
nes ipsum nec libertas est, negligentia et prauitati suæ in-
dulgendi, nec facultas debita naturalia sibi ipsi remittendi.
Legibus vero nihilominus firmum fundamentum est.

CAP. VI.

§. I. Tandem tertia Iegum naturalium classis se
nobis sifit. Agendum enim est :

III. DE SCOPO LEGVM NATVRALIVM HOMI-
NEM ALIIS HOMINIBVS OBSTRINGENTIVM:

§. II. SOCRATES porro, quemadmodum homi-
nem, diuini numinis gloriæ dedicatum agnoscebat: a: ita
potentiam & vires sui similem generandi, b, naturalem
etiam

etiam ad subolis cum procreationem tum educationem instinctum, *c.*, sentiebat, nec non facultatem, mediante lingua aliis hominibus significandi quocunque libeat. *d.* Facillime igitur colligere poterat: DIVINVM NVMEN intendisse conseruationem generis humani, *e.*, et talem quidem qualis ultimo fini, gloriae nimirum diuine, subiungeretur. *f.*

a. Quod cap. III §. III. probatum est. *b.* et *c.* ἐμΦῦσαι μὲν ἔξωτα τῆς τεκνοποίας, καὶ ἐμΦῦσαι ἔξωτα τῷ ἐκτέφειν: quod cupiditatem procreande pariter subolis ac educande indiderit. Ap. Xenoph. L. I. memorab. p. 726. *d.* τὴν γλῶτταν σημαῖνεν πάντα ἀλλήλοις ἡ θελόμε-
δα: Linguan significare, quæcunque nobis inter nos signi-
ficare libeat. Ibid. p. 727. *e.*, et *f.* Quam argumentandi
rationem supra cap. V. §. II. Lit. *d.* et *e.* monstrauimus.
Non enim verba ibidem adducta de vnius hominis, sed in-
definite de hominum vita et conseruatione agunt.

§. III. Lex generalis in hunc diuinum scopum, tan-
quam fundamen, innixa, hæc est: *Vt homo talem totius ge-
neris humani conseruationem, qualis ultimo creatoris scopo
conueniens sit, adiuuet pro viribus.* *a.*

a. Huc enim quotidiana Socratis monita respiciebant: et ipse ἐν Ἀθηναῖς, ὃδε Ἑλλην, ἀλλὰ κόσμος, non Athē-
nensis, nec Greco, sed mundi ciuitas vocari volebat, quod nempe vnuus omnium Rex et Princeps Deus diuina sua
lege, et iustitia virtrice, hoc vniuersum regeret. Plutarch.
in libro περὶ Φυγῆς p. 532.

§. III. Possemus multas speciales, hac generali com-
prehensas, leges ex monitis Socratis recensere, iustitiam
que declarare, quæ cuicunque vita generi, iis etiam, qui
vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque
negotii implicantur, ad rem gerendam necessaria est:
nisi breuitati studere, et tantum fundamina legum mon-
strare, animus esset.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ

§. V. Harum vero legum scopus, quem §. II. exposuimus, non differt à socialitate, siquidem hominum communio non tantum in rem humanam esse, nostroque conducere emolumento, sed ad numinis diuini gloriam præcipue referri debet. Qui Legislatoris finis, quemadmodum veris rationibus comprobatus nobis videtur, ita in ipso leges naturales de officiis hominis erga homines innituntur solide.

Id igitur, quod promisimus, breui hac dissertatione, præstitum esse, confidimus. Quippe non tantum et auctoritate diuina, et legum naturalium promulgatione comprobata, summi Legislatoris scopus expositus, eoque principiis, quæ prima sunt in hac disciplina, confirmato, verum Legum naturalium fundamentum declaratum est: sed commonstratum etiam, SOCRATEM nostrum, licet de fundamenti vocabulo neque questionem posuerit, neque controversiam cum quo disceptarit, rem ipsam tamen omnino perspexisse, suaque ad bonos mores hortamenta nequaquam in arena mobili, sed tuto stabilitatis firmamento exstruxisse.


Verum enim vero, vtique tantummodo flores sunt, quos ex horto philosophia Socratiæ carpos, nostrarumque meditationum qualibuscunque herbulis distinctos, in hunc compagimus fasciculum, Tibi, Lector beneuole, oblatum. Vnde, quod GROTIUS cecinit, Tibi simul insuffrandum est:

det dition alter aristas

Pomaque: nos flores, munera parua, damus.

Sit vero, quæ ultimus Legum naturalium finis est,

SOLI DEO GLORIA.



Jewa, Diss., 1706



VD18



B.I.G.

Black

33. A. Q.
DISSERTATIO MORALIS

DE
**FVNDAMENTO LE-
GVM NATVRALIVM
SECVNDVM DISCIPLINAM
SOCRATIS**

IN ACADEMIA IENENSI
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPTE ET DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXON. IVL. CLIV. MONT.
ANGR. ET GVESTPHAL.

ET RELIQA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
BENEVOLO INDVLTV

AD D. NOVEMB. CIO IOCC VI.
ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSA

A PRAESENTE

M. CHRISTIANO LOEBERO
ET RESPONDENTE
IO. GEORG. SCHELLERO
CALENSI. LL. STVD.

IENAE
LIT. VVERTHERIANIS.